Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2263

Quelle:
Copyright:

in qua varia ex *Aristotele* adducuntur, demum Expositio Cantici *Magnificat*. *Joh. Taulerum* quaedam referre videntur. Annus quidem 1484. utrique Thecae inscriptus legitur, Sermonem tamen vetustiorem esse putem, e quo glossemata varia decerpi possent.

DXCIV.

813 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. nunc 82. 8. non una manu perscriptus Exemplar alterum est Institutionis mox adductae, sed paullo recentius; jam enim *kunig* pro *king*, *bör* pro *her*, *bat* pro *baut*, *schön* pro *schen* &c. legitur. Abrumpitur autem paucis ante finem foliis in his verbis: *Nu ist christus vnser wirczel* — et sequuntur quaedam ἀκεφαλα et ἀτέλα de eadem materia, quemadmodum etiam initio *Codicis* talia praecedunt, in quibus *Thomas Aquinas* memoratur *Albertum* M. interrogans de maximo gaudio, quod Christus in humanis agens sensisset.

DXCV.

700 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 41. 4. Hunc Titulum praefert: *Pius Libellus De Erigendis Afflictis, Consolandis Aegrotantibus, Iisdemque Animandis Ad Mortem. Ex uarijs Reuerendi Patris M. Zitardi, aliorumque Catholicorum et Orthodoxorum Virorum Concionibus et lucubrationibus Collectus. Collectore et interprete Volcmaro Chytræo.* Post ogdostichon Autoris *ad Ihesum Crucifixum*, dicatur *Maximiliano Romanorum Regi, alteri Salomoni Sapientissimo, Dauidi Pijssimo, Josaphat æquissimo*, tamquam, ut per decursum dicitur, *semper Theologiæ (id quod in primis Principe Christiano dignum) studioso, amatori et auditori.* Commemoratur tamen etiam clementia et gratia *Ferdinandi* Imp. *cuius uitam et dies æternus Pater D. N. J. Christi hic in terris ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ Christi protectionem et S. Romani Imperij Salutem prolongare dignetur.* Ante annum igitur 1564. scriptus Libellus vere pius et luce publica dignus, qui argumentum suum e verbo Dei, omnique Philosophia egregie pertractat, cultoque sermone se commendat. Autorem Sacris Catholicis addictum fuisse vel ea, quae adduximus, persuadere videntur, neque Libellus abnuit. Itaque *Davidi Chytraeo* non nisi ὁμωνυμος, et fortasse germanico nomine *Hafner* fuerit. Praeter Scriptum, quod prae manibus habemus, legit is ex iisdem fontibus, ediditque *Viennae* apud *Mich. Zimmerman s. a.* 8. *Piam Adhortationem ad omnigenos Peccatores, ne correctionem vitae procrastinent* &c. Cui praefixa est *Vox Sacratissimi Imperatoris Ferdinandi: Lamentabile est Spectaculum et luctuosum, eos, qui sunt eiusdem baptismi, nominis, Imperij linguæque, ita diuelli*